

V.c.
3/31



Q h



Q. h. 28, 17.

V c
3131

PANEGYRIS

Nativitatis

Domini ac Servatoris nostri

JESV CHRISTI,

ILLVSTRISSI-
MO POTENTISSI-
MOQVE PRINCIPI AC Dn.

Domino CHRISTIANO II. Duci Saxo-
niae, sacri Romani Imperij Archimarschallo
& Electori, Landgravio Thuringiae,
Marchioni Misniae, Burggra-
vio Magdeburgi,
Domino suo clementissimo,

Dicata

à

JOHANNE TREVNERO,
Sangerhusano Cherusco.



LIPSIÆ,

TYPIS BERWALDIN.

ANNO M. D. C. LIII.

Ad Illustrissimum Principem
Dn. CHRISTIANVM II.
Ducem Saxoniae & Electorem,
EPIGRAMMA.



D Ant alij gemmas, aurataque vincla: sed ipse
Carmina, quæ cecinit nostra Thalia, fero.
Plus nequeo: quia stat mihi curta brevisq; supellex;
His tamen Ô PRINCEPS ENSIFER, ore fave.
Floreat; assurgat stirps Illustrissima: CHRISTVS
Defendat RVTAM, RVTIGEROSQUE DVCES
Vivere quò possint jucundà pace Nepotes.
Hoc precor: his votis annue summe DEVS.



PANEGYRIS,

Nativitatis Domini nostri

JESU CHRISTI,

Carminè heroico concinnata.

BArbara Teutonicos dū terrent agmina muros;
 Turcarumq̄ue cohors lunatis agmina peltis
 Horrida conscribit; cogitq̄ue in prælia turmas
 Crispantes telis Geticis, armisq̄ue coruscas:
 Et nunc Christiadam conspergens sanguine campos
 Frigore concretos vulcani personat armis:
 Teutonico clades & sæva incendia regno
 Molitur, tædasq̄ue jacet per tecta deorum,
 Culmina perq̄; hominū, cineresq̄ue per æthera spargit.

Intercèa croceos attollens gurgite vultus
 Candidus Oceani, CHRISTI solennia festa
 Festa canenda mihi producit Lucifer axe;
 In quibus æthereas, stellata palatia, sedes
 Viva DEI PROLES linquens, has venit in oras;
 Ut nos, post Adæ lapsum tristemq̄ue ruinam,
 Semine mortali genitos ex faucibus Orci
 Duceret ad rosei radiantia limina cœli.

Sic nunc in medio gemitu, squalore, dolore,
 Lætitiæ nobis & gaudia dulcia surgunt.
 Ultima promissi venit jam temporis ætas;
 Ordine jamq̄ue novo nascuntur secula mundi.
 Quilibet idcirco gratanti pectore grates

Depromat: Regique novo sacra murea linguæ
Effundens cunas decorabit laude decorâ.

Sed sacra sacrorum stupet hic facundia Vatum,
Divorumque tremuit cantata Corona Virorum,
Dum nequeunt tantum mirari opus admirandum.
Sidereus stupet hic chorus; Angelicæque phalanges
Vocibus haud possunt mysteria tanta stupenda
Effari dignis: Pelignæ Gloria gentis
Hic taceat; suadæ cesset fiducia linguæ
Nestoris; hic Orpheus reprimat sua plectra sonora;

Sed quoniam PVERES, puerili voce vocari
Lætatis; Puerum votis præbesque benignas
Aures. Idcirco puerilia vota secunda,
Æthereumque meis aspira CHRISTE favorem
Carminibus: FLATVQUE SACRO mea corda gubernat:
Ut quæ jam gracili fuerint modulata cicutâ,
Illa decus, laudesque tuas sub sidera tollant.

Cum genus humanum tristes Phlegetontis ad undas
Sulphureasque domos (dolor heu) Phlegetontius anguis
Truferat: & miseri Barathro squalente jacerent,
Tartareus Pluto, speluncis abditus atris (mendum)
(Monstrum horrendum informe infame inmane tre-
Terribilem horribili tectus caligine vultum:
Sanguine & igne micant oculi; fumantibus horret
Barba jubis: setas velut alta hastilia gestat.
Spumifici dentes æquantur dentibus indi:
Fulmen ab ore venit; Barathrumque afflatibus ardet.
Horrendo horrendum fremit horridus ore cruento;
Dentibus infrendensque ora indignantia solvit:

Me penes est vnum stygij custodia regni,

Terra-

Terrarumque orbis domitor moderamina gesto
Imperij: me styx, atraque voragine ripæ
Lethææ metuunt; me me Phlegetontia spectra
Voce tremant freudentem & fulmina sæva moventem.
Nec tantum Eumenides, furiarum Triga sorores:
Quin etiam nostrâ subter ditione tenetur
Primus iô Adam suavi cum Coniuge primâ;
Hos ego jam stygijs vinclis & carcere freno.
His olim rosei Paradisi florida tempe

Annuerat DEUS & radiantia limina cœli:
Ast nunc Ima tenent Erebi noctemque profundam.

Talia flammato rumpens de pectore Pluto
Horrissono gemitu fremituque Acheronta movebat.

Hæc postquam Ætherei PATRIS divina Propago
Percipiens, oculos Cocyti ad limina flexit,

Indoluitque vices, & lamentabile fatum
Terrigenum: nunc huc animo nunc fluctuat illuc,

In partesque rapit varias, versatque per omnes.
Irati tandem supplex ante ora PARENTIS

Tristior, & lacrumis oculos suffusus obortis
Constitit: ô Cœli sub Majestate tremenda

O Venerande PATER, cui semper dextra trisulcis
Ignibus armatur: qui res quas Voce creasti

Æternis regis imperijs, & pectora terres
Fulmine: Quid tua Gens in te committere tantum

Grande nefas potuit (dolor heu) tot funera passa?
Cui nunc cœlorum totus concluditur orbis.

Certè hinc divinos olim volventibus annis,
Affore Terricolas, renovato sanguine Adami,

Qui mare, qui terras omni ditione tenerent;

Nostraque stellanti canerent Encomia tractu
Pollicitus? quæ te Genitor sententia verti?
Nunc miseros fortuna Viros casusque gemendus
Insequitur. Fatis contraria fata rependis
Siccine? & occasum vertis tristesque ruinas?

Nonne audis fremitus & scommata dira draconis
Plasma tuum misere quibus (heu) cruciatur in undis
Tartareis? quem das finem Rex magna dolorum?
Hæc tua Progenies, cœli quibus annuis axes
(Quod vetitâ vetitum decerpserit arbore pomum)
Proditur, ac cœli longè disjungitur oris?
Perditur, insultus patitur; cruciatur in aulâ
Luciferi, plagasque capit sub faucibus Orci.
Hæc bonitatis honos? sic nos in scepra reponis?

Comprime (quid rapido iuvat indulgere furori?)
Iras clementer; Vindictæ frena relaxa:

Accipe & in miseros animum mentemque benignam.

Olli sub ridens Rector stellantis olympi
Vultu, quo cœlum, tempestatesque furentes
Luctantes pariter Ventos, terrasque serenat:
Oscula libavit NATO, de hinc talia fatur:

Solvito corde metus: animo secludito curas:
Justitiæ rigor, irrevocabile juramentum
Serpenti antiquo permittere talia cogunt.
Sed tibi jam fabor, quando hæc te cura remordet
Longius & repetens divina arcana movebo.

Fata tibi semper stabunt immota, tuisque.
Quamvis Lethæis sit nunc inclusa caminis,
Tisiphonesque trucidis plagas patiatur, inermis

Gens

Gens tua , quam cernes ereptam sede tyranni,
Sublimemque feres ad flammae sidera caeli,
Stellatamque plagam : neque me sententia vertit.

Sic placitum ; veniet lustris labentibus, hora
Cum domus Isaidum perijsse videbitur omnis.

Flosculus hinc Jessæ ima radice refurgens
Despectum caput æthereas extollet in auras.

Nascetur pulchrâ Davidis origine PROLES

Quæ mare quæ terras Verbo cœlumque gubernet,

Flamine namque gravis sacro Regina sacerdos
Progeniem pulchram prægnans dabit inclyta partu.

His ego non metas ullas nec tempora pono.

Consilia in melius referam , tecumque fovebo

Terrigenas rerum Dominos gentemque sacratam.

Tu mea Progenies, tu Pectoris alta Voluptas

Taliseris: quamvis æquali junctus honore

Sis mihi; & æquali mecum venereris honore:

Attamen astrigeri linquendo volumina tractus

Humanum Corpus sumes ex Virgine purâ.

Nec Te foedabunt veteris Contagia culpæ;

Expers sed labis lucis prodibis in auras.

Tu Phlegetontiacos lemures, & colla draconis

Franges, læthali læsuri vulnere calcem.

Aspera compositis bellis jam secla silebant

Nec Bellona ferox strepitus , crepitusque tubarum

Armorum streperosque sonos, dirosque tumultus

Sanguinis ulterius sitiens, cœdisque ciebat;

Classicus ast tenues horror, migrarat in auras.

Stant terris defixæ hastæ , gladiosque coruscas,

Loricæ, frameas, rorantes sanguine cristas

Depo-

Deponunt, galeis capita, & latera ense resolvunt;
Scutaque proijciunt humeris, Mavortis alumni
Prælia jam damnant, laudantes prælia nuper;
Horrendique horrent horrendum Martis amorem.
Jam belli portæ ferro & compagibus arctis
Occlusæ fuerant: belli cædisque Cupido
Sanguinolenta intus centum constricta catenis
Ore cruentato gliscens arma arma cruenta.
Dentibus infrendit dira ira: Ate atra gemiscit:
Cana Fides iterum cœli conscensa sub axem;
Aureaque auratis terras plaudentibus alis
Visere gaudebant Pax atque Astræa relictas.

Illis temporibus sceptri moderamen habebat
Romani, rerum Dominus gentisque Latinæ
Augustus Princeps famâ super æthera notus,
Augustâ virtute valens, augustior almâ
Religione DEI, sacre Pietatis amator.

Hic postquam extulerat subter Garamantas & Indos
Imperij fines; sceptro premeretque Pelasgos
Indomitos, armis Victos Gallosque rebelles.
Et Lelegas, Patriaque fugatos Vrbe Britannos;
Et Nomadum Genus: Æthiopesque Arabasque feroces.
Atque Afros flexum lunantes fortiter arcum;
Et Caras Cretosque sagittiferosque Gelonos;
Victor & Euphratis, spumantis Victor Iberi.

Hic Pacis studio totum regnante per orbem
Sceptro subjectos Latio conscribere iussit
Omnes; si quando fureret furibunda tumultu
Bellorum Bellona fero, atque arma arma ciceret:
Nosceret ut vires, aptasque in prælia turmas.

Etiam

Et iam finis erat quo Rex stellantis olympi
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes
Inmentem revocat veteris promissa salutis;
Mitteret è throno quò Majestatis in orbem
Jacobi Patris venturum semine SILOH
Gentibus auxilium miseris mortalibus alnum.

Tunc sic alloquitur Gabrielem, ac talia mandat:
Fide minister ades jussorum ritè meorum;
Vade voca Zephyros, Caurosque Eurosque tepentes:
MARIAMque sacra parvis Galilæidos oris
Aggredere, & celeres defer mea dicta per auras:
Regali erumpet Davidis stemmate Proles
Ignea quæ Stygij vastabit tartara Ditis,
Eripietque cavis mortales morte cavernis.
Hanc utero Tu, prægnanti dabis inclyta partu.

Dixerat: ille Dei dictis parere parabat
Imperioque sacro: pedibus talaria nectens,
Protinus aëreas corpus librabat in auras.

Jamque volans Helicen magnam septemque Triones
Præterit, & medios tranando pervolat axes.
Aureus à dextrâ prænobile sidus Orion
Conspicitur, pariter torrenti Sirius astro.
A lævâ Cepheus, & Cassiopæa Virago,
Stellatusque anguis constrictus frigore sævo
Involens caudâ metuentes æquore tingi
Stellas, Parrhasio quæ conspiciuntur in axe:
Astraque quæ Titan uno percurrit in anno.
Jamque auras tranans apicem & latera ardua cernit
Collis oliveti, sacra qui desuper urbi
Imminet assidue cinctum cui nubibus atris

B

Pal-

Palmiferum caput & vento pulsatur & imbri.

Hic primum paribus nitens se nuncius alis
Constitit, hinc toto præceps se corpore ad undas
Cedronis fluvij mittit rapidumq; fluentum.

Ut primum parvæ vidit Galilæidos oras,
Urbisq; alatis tetigit magalia plantis;
Ocyus hinc intrat vilissima tecta Mariæ
Virginis, os homini similis vultumq; decorum.
Quos simul ac subiit submisso vertice postes
Talibus inde modis effudit voce loquelas:

Salve Virginei flos illibate pudoris
Salve virgo decens nimium dilecta Tonanti,
Nuncius astringero venio demissus olympo
Nuncia grata ferens mecum, gratissima toti
Orbi, Terrigenis sperataq; gaudia cunctis.
Pectore solve metus, animo secludere curas
tedecet. Est etenim manifesto Numine tecum
Omnipotens Rector cœliq; soli q; saliq;.
Fulgida jam linquet fulgentis limina cœli
Progenies Veneranda DEI, Natusq; supremi
Assumens fragiles humani corporis artus
Vitales ex te lucis prodibit in oras.

Dixit: & avertens rotea cervice refulsit
Ambrosiæq; comæ fragrantem vertice odorem
Spirarunt, gressuq; suo patuit Deus ille.

Virginis extemplo solvuntur membra Mariæ
Frigore, cum tremulos trepidus tremor ingruit artus
Stant horrore comæ, ficcis vox faucibus hæret.
Riphæâ siquidem, quæ descendebat ad ima
Crura pedum vestis nive erat splendentior albâ.

Vivida

Vivida sed postquam redit in præcordia Virtus,
Intrepidâ tales effudit voce loquelas:
O juvenis quem te memorem? qui missus olympo
Nuncia in audita apportas vocesq; stupendas?
Quid miranda volunt hæc nuncia? tu DEUS ipse;
Non tibi mortalis vultus, mortaliaq; ora:
Nec tua vox hominem sonat hæc quæ personat aures.
Res miranda nimis, nullumq; audita per orbem
Terrarum: nostro procedet Corpore SILOH?
Illa ego supremi vocitabor Sponsa Tonantis?
Vnde mihi abjectæ abjecto desemmata natæ
Gratia tanta venit? gestabo corpore prolem
Expers connubij: nulliq; ad dicta marito?

Ad quæ vatidicâ Gabriel sic voce profatur:
Tu quamvis nulli sis desponsata marito?
Virginitate fruens primâ, tædæq; jugalis
Expers? æthereâ æthereus te SPIRITUS aurâ
Et virtus summi Regis stellantis olympi
Umbrabit corpus: quare quod prodit in oras
Has lucis SANCTUM appellabitur. Huic DEUS omne
Imperium sine fine dedit sceptrumq; perenne.
Hic terræ explebit factis illustribus oras:
Christiadosq; suo populos de nomine dicet.

Protinus orsa loqui: sim nunc ancilla Tonantis
Eveniatq; mihi divâ ceu voce locutus:
Dixerat: & subito in medio sermone relinquens
Mortales visus Gabriel vanescit in auras.

Pendere jam census magni de se mine Judæ
Edita Ge's paret. Jessæis regibus ortus
Ipse etiam Joseph juxtaq; Maria puella

Subiecti Augusti imperijs sceptroq; Latino
Ingrediuntur iter, caelesti pondere Virgo
Subsequitur titubans gressu: nec passibus æquis
Concomitata Virum gressu celerabat anili.

Tantum aberant, quantum flexo semel ire sagitta
Missa potest cornu: Cum prospicientis in æquor
Carmeli iuga celsa vident quæ vestit Oliua
Plurima & umbrosis ramis rapida æquora adornat.

Jamq; gradu attingunt Thaboris culmina celsi
Cison ubi effusis spumosis volvitur undis:
Dejectuq; gravi tenues agitantia fumos
Nubila producens sonitu Vicina fatigat
Rura: hoc foecundo nascuntur balsama colle.
Mons quoq; verticibus qui surgit ad astra duobus
Relligione sacer, superansq; cacumine nubes
Linqvitur à leva: jam Hiericha rura salutant,
Perq; illos gaudent vestigia flectere campos.

Devenere locos, ubi tunc ingentia cernunt
Mœnia, & extructas moles conscendere nubes.
Vrbs vallata iacet triplici circumdata muro:
Ardua de solido stant propugnacula saxo.
Aggere munitæ turres vallisq; profundis
Vrbs antiqua nimis, sedesq; electa Tonantis.
Protinus ore sacro, linguâq; favente salutant
Quod Proavi, tenuere solum Natale, priores.

Tempus erat roseus quo gurgite Phœbus Ibero
Tingit equos, radiosq; rapit secum axe micantes:
Jamq; cadente die nox intempesta ruebat
Involvans umbra piceâ cælumq; solumq;.

Quis tunc Hospitium, requiemq; petentib9 offert?

Mille

Mille domos adere locum requiemq; petentes:
Mille domos clausere seræ-hospitiumq; negarunt,

Cespite gramineo, stipulis ulvâq; palustri
Pauperis agricolæ stabat casa tecta resectis:
Cujus erat paries virgis, muscoq; virente
Structus quò Venti flatus Boreamq; furentem
Riphæasq; nives, inimicaq; frigora vertat.
Ergò ubi defessi parvos tetigere penates
Submissoq; humiles intrarunt vertice postes.
Membra cibo apposito iussit recreare Colonus.

Extemplo filicis scintillam excudit Joseph;
Atq;, foco tepidos cineres dimovit; & ignes
Suscitat hesternos: folijs & cortice sicco
Nutrit, & ad flammam ponens ramalia secta
Multi fidasq; faces. Fumi sparguntur in auras,
Ligna q; nunc ardent flammis adjecta: per artus
Inde calor penetrans frigus depellit acutum.

Volvitur intereà stellis fulgentibus aptum
Cœlum: velivolo prorumpit & Oceano nox.
Aurea jam cursu per amica silentia Phæbe
Nocturnos moderatur equos, cœlumq; serenat.
Jam tacet omnis ager: pecudum volucrumq; sopore
Corpora victa jacent multo defessa labore.
Somniaq; humanas solantur inania curas.
Non sylvæ resonant ictu pulsuq; bipennis,
Frondeferæ vè cadunt quercus: cùm sæva quiescunt
Æquora, nec miscent horrentia prælia Venti:
Omnia sed somno posito sub nocte silenti
Lenibant curas somnum suadentibus astris.

Ipse etiam Joseph stipulis & stramine fultus

Languida jucundâ mulcebat membra quiete.
Dumq; ita spirabant nullo cum murmure Venti,
Atq; ferè medium peragebant lucida cursum
Sidera, Virgo jacens tempus properare beatum
Sentit, Ventris Onus lucis quò ferret in auras.
SPIRITVS intus agit subitò virtute potenti:
Et dum Virgo Preces, suspiriaque alta profundit;
Molliter edit onus sacrum. Mox igne reluxit
Æthereo veneranda domus, flammisq; coruscis.

Ac velut umbriferos post frigida frigora frondes
Purpureasq; rosas floresq; & gramina læta,
Fœta remittit humus Zephyris mulcentibus auras.

Tum PATER omnipotens cœlo manifesta sereno
Signa dat; & partum NATI vulgavit in aurâ.
Cornibus auratis multò micat aurea Phœbe
Clarius; hyberno quoque Moenalis Vrfa sub axe,
Gaudet stellatum sub marmore mergere corpus,
Purius ut rutillet reliquis rutilantibus astris,
Vos quoq; Atlantiades Taurino fronte jacentes
Flammanti æthereas diffunditis æthere flammâs.
Aureus Arcturus clavo, Puppisq; Pelasga
Lætitia exultant, gaudemigaudia mente
Testantur, cœlumq; novo fulgore coruscat.
Et Vos Iardanis leni suaviq; susurro
Itis aquæ, fluctusq; feros compescitis alveo.

Pandite nunc Heliconæ deæ, cannisq; canoris
Astantes, Cunas venerandas tollite CHRISTI.
Scitis enim, neque vos fallit spaciosa Vetustas.
Et vos Palmiferi colles, montesq; nivosi
Et gelidæ valles gelidq; in vallibus amnes

Exultate

Exultate animis, festumque sacrate sacratum.

Vos & quæ riguas habitatis ad æquoris undas
Naiades, vos, quæ nemorosa vireta Napææ,
Vos quoq; Hamadriades sylvas, Dryadesq; puellæ
Quæ colitis virides, vos & mea gaudia, Nymphæ
Latanti lingua, læto vos alloquor ore,

Ad cunas properate DE I, cultuq; decente
Ornate, & colite ætherei, præsepia CHRISTI:

Ite citæ properoque gradu properate: sonoros
Fundentes Cantus, cannas inflate canoras;
Tollite júbila, fundite carmina, dicite grates,
Pangite voce melos jucundum, applaudite plausu.

Quid faciat Genetrix? tenui velamine velat
Progeniem, revoletque sinu sacra membra tepente.
Matrum nulla fuit juxtâ auxiliariis armis

Quæ posset P U E R U M Matremq; juvare gementes.

Viribus astabat bos quidam exhaustus arando
Pabula stridentis fœni stridentia carpens;

Josephique simul juxtâ portator asellus.

Hi subito hirsutos submisso vertice frontes

Agnosendo DE I vultus & frontis honorem,

Corpus adusque ferunt, mugitu ornantque boante.

Et ne forte Illum Cauri inclementia tangant

Frigora, hyperboreæve nives latera inclyta lædant,

Frigora fumificis glacialia flatibus arcent.

Jamque jaces Venerande P U E R, sub paupere tecto

Quem non cœlorum cœli, nec machina mundi

Circuitu immenso, ingenti, incomprehensibilique

Continuisse valent, nec non circumfluit aër.

Quis tibi care P U E R tenui munuscula cultu

Offert:

Offert? aut hederis ornat, seu baccare cunas?
Mistaq; ridenti colocasia fundit acantho?
Quis tibi conciliat somnum sermone disertio,
Arte vè junctarum fuso modulamine vocum?
Mugitu siquidem bos horrifonoq; boatu
Munera carpenti somni turbatq; fugatq;.

Excutitur somno Joseph, gravitate jacentes
Jamq; oculos tollens iterumq; iterumq; cadentes,
Exurgit tandem cubito incurvoq; levatus
Vagitus audit PUERI, Matremq; gementem.
Ut verò accedens Cunas, vultumq; decorum
Viderat, immotus stat ceu Marpesia cautes
Os humerosq; DEI mirans, namq; ipse decoram
Cæsariem NATO GENITOR: lumenq; juventæ
Purpureum & blandos oculis afflarat honores.

Sicut Ebur splendet nuper quod protulit Indus
Tractibus Eois, ceu candida lilia campis
Mixta rosis fulgent, croceis, ridentq; nitore.
Extemplo duplices tollens ad sidera palmas
Inflexis genibus sic ora trementia solvit.

Venisti tandem post vota profusa Piorum
Maxime Terrigenum promisse Redemptor in orbem
Qui mundi REX, LEX, DVX LVX, PAX, FAXq; PATERq;
Unanimi sensu, linguâq; favente vocaris.
Horrida squamoso dirumpes colla draconi
Tartareasq; domos vertes stygiosq; Caminos:
Tu Phlegetontiacos lemures furiasq; furentes
Vinclis constrictas stringes durisq; Catenis:
Amisamq; tua reparabis Morte salutem.
Tu, stygius, quotquot speluncis abdidit atris

Serpens

Serpens ereptos duces ad fidera cœli.

Te nascente iterum seclorum nascitur ordo,
Te redeunte redit pax alma atq; aurea terris,
Per Te vita redit, lux grata, diesq; quiesq; :
Jam non crux sed lux regnat, non terror & error
Sollicitant hominum mentes : sed plangor & angor
Confugiunt rigidas scythiæ glacialis in oras :
Nam lacrumas risus, tenebras lux alma fugavit.

Divæ DEI SOBOLES magnum PATRIS incrementum
Aspice lætantem convexo pondere mundum,
Terrasque tractusque soli, cœlique theatra.
Jam venerande P U E R risu cognoscere Matrem
Incipe, turbati qui non risere Parentes.

Sic ait, & lacrumæ cecidere per ora calentes.
Ah quoties tremulis P U E R U M complectitur ulnis
Hinc illinc tollens, saltantum more, per auras.
Omnis in hoc P U E R O cani stat cura Josephi.

Dumq; hæc per terras fatali lege geruntur :
Pastores qui dam montosis vallibus illic
Mille greges rigidas totidemq; armenta per herbas
Ducebant campos tondentes ore nivales :
Lanigeras & oves cursu insidijsq; luporum
Servabant duplici ramoso carcere claufas :

Protinus astrigerum rumpit fulgore corusco
Cœlum, ac æthereâ nubes regione recedunt :
Exoritur splendor subitus : loca cuncta relucent
Igne velut lucent disruptâ, fulmina, nube
Lucida, & ignitus crebris micat ignibus æther :
Horrescunt visu pecudes, pecudumq; Magistri,
Stant horrore comæ : tremulos tremor ingruit artus

C

Nil

Nil nisi terror adest, pallorque tremorque pauorque,
Stantque metu exangues: Juvenis tunc clarus ab axe
Fulminis instar adest, farique ita pectore cepit:

Solvite corda metu; quid jam terrore tremente
Pectora terrentur? gratissima nuncia portans
Nuncius astrifero venio demissus Olympo.
En SALVATOR adest stellatâ sede relictâ
Natus in his terris, Bethles sub manibus; ortum
Virgine Jessæâ ducens: modò credite dictis;
Verbaque nec tepidis committite talia ventis.
Signa notate animo, cordisque in scribite fibris.
Invenietis enim Cunas PVERVMque jacentem
Arenti foeno, tenui velamine cinctum.

Ite cito ergò pede, atque morâ properate remissâ,
Currite, quæso gradu celeri, celerate repente
Et cunas ornate rosis fragrantibus: atque
Spargentes violas, thymbram, roremque marinum:
Nectite jucundo fragrantia baccare ferta:
Muncra ferte DEO, linguaque sonante, sonora
Fundite cœlesti laudum præconia REGI.

Finierat: sonuere novis applausibus auræ
Responsant valles, vocem juga celsa remittunt.
Nam subito æthereo pendentes aère cœtus,
Angelicique chori concentibus æthera mulcent;

Gloria summa DEO, terris plaudentibus alis
Aurea Pax redeat; Mortalibus alma Voluntas,
Gloria con valles, vaga flumina, Gloria, clamant,
Lætaque percussis sonuit sub rupibus Echo:
Altaque per niveos sunt facta silentia montes.

Vix è conspectu cœlestes sidera turmæ

Intra-

Intrarant roseasque arces stellantis olympi;
Cum Pastorum animos res hæc incognita turbat,
Lætitiæque metuque avidi miracula stupenda
Hæc vulgare volunt: mentem sententia præceps
Præcipitem vertit, num verè credere possint
Et verbis adhibere fidem? sententia tandem
(Illi inter sese voces dum pectorevolvunt.)
Hæc animo surgit; celeres ad mænia gressus
Tendere, monstratæque accedere culmina villæ.

Corripuere viam celeres quo semita monstrat.
Non remorantur iter glacialia frigora; flatus
Nec gressus inhibent Boreæ spirantis ab axe;
Concretæve nives? currunt per saxa per ignes.

Jamque propinquabant urbi, tectumque videbant
Efflans fumosum canoso culmine fumum;
Instantque ardentes foribus, pulsantque vocantque.

Protinus, ingressi gressu ad cunabula flexo
Inveniunt Patrem foeno Matremque rigenti
Prostratos, PVERI refoventes membra tepore,
Tunc genibus flexis, tunsisque ad pectora palmis
Divinos PVERO tribuerunt supplice, cultus
Gestu; & voce piâ cecinere Encomia laudum
Mirantur Matremque piam, mirantur JESVM
Flagrantisque eius vultus & gemmea labra
Expleri mentem nequeunt, ardentque tuendo.

Jam per palmiferos colles, solymasque per arces
Fama volans tractusque maris terrasque jacentes
Personat, & vero complet rumore Penates,
Niliacosque sinus, Euphratisque ostia vasti;
Æthiopumque Arabumque lares pernibus alis

Eoasq; plagas, Nabathæaq; regna repente
Irrumpens CHRISTI adventum vulgavit in illis.

Quæ latuere canam, referando Oracula Mentis
Æthereæ! ingenijs pervestigata priorum
Magorum nunquam, juvat ire per aurea cœli
Astra, juvat terris & inertis sede relictâ
Nube vehi: validisq; humeris insistere Atlantis.

Namq; aliud maius miraculum, ultroq; stupendum
Tractibus Eois, Lybiæq; calentibus arvis
Non modo conspectum, quin & regionibus Austri.
Stella recens siquidem cunctis incognita seclis,
Parrhasio nevé Australi conspecta sub axe:
Auro rævè domos versus, seu Atlantis ad orbem
Apparens nunquam fulsit fulgore corusco.
Sed nunc erumpens, radijsq; per æthera iactis
Significat partum CHRISTI, tempusq; petitur
Advenisse, sacri quod prædixere Prophetæ.

Hæc primum à Magis, cœlo processa sereno
Temporis hyberni sub nocte silente videtur;
Dum metiuntur iter Lunæ, solisq; labores,
Astrorumq; situs, causasq; unde imber & ignes?
Observant Boreæq; vias, positumq; Trionum.

Sint licet hi cœli longè regione remoti;
Mente tamen tangunt, & quæ Natura negavit
Rudibus ingenijs, hausere indagine mentis.
Inde docent rerum causas, ortusq; obitusq;:
Quid sol? unde nives? quæ fulminis esset origo?
An DEUS? an Venti displosâ nube, tonarent?
Cur tremarent terræ? quâ sidera Lege mearent?

Hac jam conspectâ, trepido trepidare tumultu

Gens

Gens illic cepit, ceu bello incunte, per urbes.
Concurrunt Magi, obscurasq; inquirere causas,
Sideris ætherei cupiunt: versantq; per omnes
Partes. Ast ullâ nequeunt indagine mentis
Veras fulgentis causas attingere stellæ.

Verùm ubi nulla datur ratio, sacra biblia monstrant,
Sideris exorti positum causasq; latentes.

Protinus ardescunt longinquas visere terras:
Robora jam sylvis cedunt, pinusq; proceras
Apportant, navesq; struunt uncasq; carinas.
Carbasus exoptat Zephyros aurasq; ferentes.
Pondera, cum Myrrhis assumunt divitis auri,
Thuraque thuriferi portant quæ odora Sabæi.
Jam juvat hyberno moliri fidere classem
Atque fretum medijs Aquilonibus ire per altum
Jamq; rates intrant: præfixo concita rostro
Sulcat aquas classis sudantibus acta lacertis.
Littora deseruere freti, rapiuntq; ruuntq;
Spumasq; adnixi torquent, & cærulea verrunt.
Inde per immensum ventis spirantibus acta,
Vnca carina ruens, exemplo nubis aquosæ
Flamine Ventorum nunc huc nunc tunditur illuc.

O quoties puppis sub sidera Mœnalis Vrsæ
Per glaciale fretum ventis discordibus acta est?
Sæpè sub Hesperio, regnis Atlantis in orbe
Japetionidis, (pontus quo solis anhelis
Æquora subdit equis, arctosq; excipit axes)
Anchora de prorâ jacitur, portuque tenentur.
Sæpè sub Australes tractus: jam solis ad ortum
Auroræque domos Nabathæaq; regna vehuntur.

Bis nunc æquoreis inclusum Piscibus annum
Finierat Titan, radijsque retexerat orbem;
Cum tandem solymos aurâ ventisque secundis
Aspiciunt colles, optataque rura salutant.

De venere locos, quo propugnacula saxis
Stant validis extructa, ære & compagibus arctis
Porta adversa ingens foribus stridebat ahenis.
Mirantur molem, cœloque æquantia tecta,
Turrigerasque arces, strepitusque & strata viarum.

Hic populi Aufonij nec non Judæa juvenus
Instant ardentes gaudentque attollere muros.
Ulic fundamenta locant , niveasque columnas
Rupibus excidunt Parijs, & marmore lecto.

Sicut apes æstate novâ sub sole micante,
Flaventes populantur agros, & farris acervos
Ingentes cumulant, pedibusque in tecta reponunt.
Hæc ore hæc pedibus cerealia munera portat;
Hæc frangit spicas, hæc granula colligit ore.

Hæc dum Magorum turbæ miranda videntur
Dumque stupent: Rex en sceptro decoratus eburno
Incedit magnâ juvenum stipante catervâ,
Armisonâ septus turmâ, ærataque phalange,
Instabatque operi ardenti, tectisque futuris.
Arcis tam foribus media testudine tecti
Militibus cinctus folioque resedit in alto;
Jura dabat, Leges ponens, grandesque labores
Partibus æquabat rectis, & mollia duris
Commiscens turbæ tribuit, vel sorte trahebat:
Cum subito juvenes concursu accedere Magos
Aspiciunt, habitu miro, gestuque severo:

Obstu-

Obstupere simul florentes ære catervæ
Pompaque regalis: pariter perculsus Herodes
Spemque metumque inter dubius conjungere dextras
Ardebat, mentem sed res incognita turbat.

Quæ fortuna Viris ergò jam quærere mandat?
Quid veniant? quovè ire velint? quæ nuncia portent?
Accessere omnes, intentique ora tenebant.

Maximus extemplò fari sic pectore cepit:
O rex, cui summus Rector stellantis olympi
Justitiâ tribuit gentes frenare Judæas;
Nos Magi adversis ventis maria omnia vecti
Oramus prohibe incursus, tristemque rapinam;
Longinqui adventus causas atque aspice nostras.
Armorum non vi solymos populare penates
Venimus, aut urbem rapidis accendere flammis?
Non ea vis animo, nec tanta est pectore Virtus.
Tractibus Eois rutilantem vidimus axe
Stellam, Judæis Regem qui mœnibus ortum
Esse notat verè, lucisque hausisse nitorem.
Ergò polo tandem quo nunc? quibus orbis in oris
jactemur doceas? ignari hominumque locorumque
Venimus huc fluctu, ventisque sonantibus acti.

Finierat. Regi cum protinus intima frigus
Ossa receperunt buxoque simillimus ora
Pallor obit, sudor penetrat dum frigidus artus.
Urbs solymæa tremit, Cives trepidare tumultu
Ingenti incipiunt: veluti cum milite sævo
Ferrataque manu muros circum sonet hostis;
Æratos clypeos, aut si æra micantia cernant.

Aut quando ignis edax Ventis, flammæque furentes
Volvun-

Volvuntur, crepitant flammæ, furit æstus ad auras
Culmina perq; hominum ruit, atq; palatia divum.

Tum verò Insidiæ Herodis, fraudesq; dolosæ
Apparent, nam concilium de rebus agendis
Extemplò cogit, scribæ totusque senatus
Pontificumq; cohors properant Davidis ad arcem;
Regique ostendunt parvis Galilæidos oris
Naturum CHRISTVM Bethles sub mænibus urbis.

Convocat Herodes Magos iterumq;, iterumq;
Inquirit, luxere novi quo sideris ignes
Tempore? sed tandem causas cum noverat omnes
Jussit inire viam, cursusque absolvere ceptos;
Rursus & ad solymam vertendo flectere gressus.

Ingrediuntur iter: subitò cum lucida cœlo
(Quam prius Auroræ regnis videre nitentem)
Stella facem ducens clarâ cum luce cucurrit,
Signavitque viam, labentem culmina tecti
(Quo PUER & PUERI Materq; Paterq; jacebant)
Illam summa super cernunt: dum deniq; stabat
Veloces inhibens gressus flammisque micantes.

Ecce domus propero, vilissima limina, gressu
Intrantes PUERUM natum cunasque videbant.
Extemplò genibus flexis, ad sidera palmas
Extollunt, laudantque DEUM, cunasque celebrant:
Effractisque suis thesauris munera, læti
Thura dabant Magi, Myrrhas, aurique talenta.

Sed DEUS insomnis (quando aurca sidera surgunt
Atque procelloso nitidum caput abdiderat sol;
Et caput extulerat densissima stelliferum nox)
Admonet, utque alio cursu regione viarum

Ad

Ad patriam redeant, & Memnonis arva, jubentur.

Dudum tartareis de formis rector in antris
(Cui stygius torrens, atraque voragine ripæ
Lethææ subiecta jacent; ardentibus undis
Exardens phlegetonq̄; Acheronque tremendus hiatu
Ingenti increpitans flammaram æstu: simulatros
Eiciens volvit lapides, tetrasque favillas)
Indoluit, rabidamque iræ vim viribus effert;
Fulminat indignans, spiranti & sibilat ore;
Naribus ignivomis coedemque ignemque minatur.

Tunc sic cerbereos rictus, & guttura pandit:
Siccine versutis decet (heu) illudere regem,
Fraudibus? atque dolis Herodem ambire potentem?
Velaque dent læti? plenâ jam carbafus aurâ
Spumas ære ruens terras penetrabit Eoas?
Inceptisque meis cogar desistere Victus;
Ne possim natum ferris extinguere Regem?
Quippè ve tor fatis: Primos ambire Parentes
Ipse dolo potui, stygiisque advertere regnis?
Et nunc iste P U E R (querulis vagitibus auras
Implens, ac vultum lacrumis conspergit obortis)
Ille meas turbet sedes cocytia regna?
Tartareæque arcis fumantes sulphure postes
De vastet? captosque poli deducat ad axes?
Non ea vis animo, pereant sic numina nostra?
Vllus nec supplex aris imponat honorem;
Quæ nunc thure calent, fertisq; recentibus halant?

Talia flammato rumpens de pectore Pluto
Horrendum informi in ferno tum personat ore,
Nocte vocans genitas immani voce sorores

D

Cocyti

(Cocyti ante fores nebuloso carcere clausas
Pectentes diros diris de crinibus angues)
Dentibus infrendens gemitum dat pectore ab imo :

O mea Tisiphone, Virgo fata noctis in umbrâ
Virgo, meæ vires, mea sola potentia regni
Cui sunt insidiæ, cædes, & crimina cordi:
Ad te confugiens supplex tua numina posco:
Tu memorare potes, memoriq̃ue hæc pectore servas
Quod dudum astrifero dejecti ex cardine cœli
Has tristes Erebi fato pervenimus oras;
Progeniem sed nunc humano à sanguine duci
Auribus his hausi, stygias ut verteret arces.
Hinc populum latè terris cœloq̃ue potentem,
Venturum excidio inferni, sic voluere Parcas.
Hoc metuens, casusq̃ue memor, belliq̃ue cruenti
Quod contra æthereas turmas stellante sub aulâ
Gessimus infelix bellum, heu lacrumabile bellum.
Hinc mihi nec causæ irarum sæviq̃ue dolores
Excessere animis: manet altâ mente repostum,
Judicium horrendum JOVÆ, tristisq̃ue ruina.

Ergò age turbatae quæ sit sententia mentis:
Tu potes unanimes armare in mutua fratres
Prælia, & insidijs evertere regna domusq̃ue
Atque odijs miscere dolos; jam concute pectus,
Concute Gorgoneos dirâ de fronte colubros;
Ardorem armorum spargens, sere femina belli
Arce sub Herodis; stygiõ mentemq̃ue veneno
Infice, ut adversus PVERVM, Pueriq̃ue Parentes
Arma fremat, crepet arma furens, arma arma loquatur.

Tisiphone contra infrendens atque ora resolvens

Non

Non lacrumis scelus hoc vel verbis, inquit, agendum
Sed ferro, seu si quid habes quod vincere ferrum
Possit, in omne nefas me me rex magne paravi.

Aut ego cum facibus Bethlemica tecta cremabo
Et PVERI medijs immittam corpora flammis:
Crescet honos noster tandem; & sic gloria surget.

Nec mora Gorgoneis dudum madefacta Venenis
Tisiphone ditis monitis parere parabat.

At prius induitur maculatam cæde cruentâ
Pallam, contorto corpusque incingitur angue;
Egrediturque domo. Cædes comitantur euntem
Et scelus & rabies, trepidoque insania vultu,
Et Pavor, atque horror, cæcæque oblivia mentis.

Ergo Idumæi regalia limina regis
Ingreditur; tacitumque obsedit culmen Herodis.
Limine constiterat; postes tremuisse feruntur;
Gorgoneusque fores infecit pallor acernas.
Importuna stetit, gressumque obledit Erynnis,
Nexaque vipereis distendit brachia nodis.

Protinus anguiferis unum de crinibus anguem
Corripit, in gyrum quem terque quaterque rotatum
Immittit tecto, tormento fortius, alto.
Inde duos alios mediâ de vertice rumpens
Proijcit. Hi regis subito se pectore condunt,
Atque volant tactu nullo, mentemque pererrant,
Vipeream inspirantq; animam; nec vulnera membris
Vlla ferunt: mens est quæ diros sentiat ictus.

Sic Victrix tandem stygij per inania ditis
Regna redit monstrum, sumtos & proijcit angues
Sibila lambentes linguis vibrantibus ora;

D 2

Exuitur

Exiit pallam sanie, taboque fluentem.

Rex ubi concepit furias, stimulosque furoris
Corde dolorifero refovens, curasque malignas;
Ardentes oculos huc illuc lumine glauco
Intorquens, graviterque fremens sic ora resolvit:

Heu quid agam? quæ vox nostras, quæ fama per aures
Spargitur? atque vagum complet rumoribus orbem?
Advenisse novum Regem, natalia festula
Exorti cuius cecinerunt sideris ignes:

Quos videre suis Magi torrentibus arvis.

Quo nunc imperium cedit? quo sceptrum Latina
Regimen Aufonij tractus? quo splendor & ingens
Majestas nostri regni? quo gloria, abibunt?
Siccine tam latè terraque marique potentem
Ambiguus decet heu verbis illudere regem?
Versutisque simul, ceu Magi, pectora larvis
Dementare? vagis falsisque ambire loquelis?

Quos ego. sed motos animi componere fluctus
Præstat: non verbis scelus hoc, linguavè gerendum:

Est Mavors præsens, belli Bellona flagellum
Concutit, ære ciens vesani Martis alumnos.
Sunt mihi crispantes peditumque equitumq; catervæ
Has armis armare jubens in prælia cogam.

Quoque magis frendit, maior violentia surgit
Sanguinis atque ardor cædisque insana cupido.
Arma arma arma fremens armorum gliscit amore.

Vritur infelix furijs, totâq; vagatur
Arce furens: qualis Lyciâ traiecta sagitta
Cerva furit, rabidisque nemus clamoribus implet:
Quam procul incautam frondosâ valle jacentem

Pastor

Pastor trajecit; rapidaque sequente canum vi
Cursibus illa ruit montes sylvasque pererrat
Frondosas, hæret lateri lethalis arundo.

Dira canam: procul hinc juvenes procul este senesque;
Aut mea si vestros mulcebunt carmina sensus
Credite non (sed res fama est super æthera nota.)
Sive fidem verbis ultrò coniungitis, huius
Horrendi, infandi facti quoque credite pœnam.
Et si commissum finit hoc Natura Latinis
Militibus rabidis; tum nostro gratulor orbi
Gratulor huic terræ, quod abest regionibus illis.

Vt primum Herodes florentibus ære catervis
Fulgura fulminibus spirans, Galilæidos urbes
Attingunt peditumque cohors, equitumque manipuli:
Intremis omne solum: stupuerunt templa domusque
Crudelem Herodem venientem atq; arma moventem
Spirantem flammam irarum ac dira frementem.

Ingrediens etenim Bethlen tunc plangor & angor
Prosternit populos, oriturque miserrima cædes.

Quis cladem illius lucis? quis vulnera fando
Explicet? aut possit lacrimis æquare dolores?
Nam subito immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: resonant valles, & vallibus amnes.
Fit tremor, & trepidâ trepidant formidine cives
Dirigere malis; tuncisque ad pectora palmis
Tempora contundunt, laniantque à corpore vestes
Matres, quando vident gladio, & mucrone corusco
Currere teliferas hinc inde per arva phalanges
Et natos, primâ tantum lanugine malas
Tingentes teneras, ferro per corpora adacto

Fædare aspiciunt effuso sanguine terram.
Nec vero satis est tantum effudisse cruoris
Intra ædes Bethles: sed per montana Judææ
Ac per Idumæos saltus rapiuntq; ruuntq;
Et pueros omnes cædunt, gladiisque trucidant.

Nec parcunt ullis pariter discrimine nullo
Vbera lactantes Matris, cunisvè jacentes
Morte rigente ruunt, animas efflantq; per auras.
Stant concussi animis infracti ad prælia cives.
Vndiq; dum montes rupeſq; in montibus altæ
Horrisono gemitu fremitu, miseroq; tumultu
Miscentur penitusq; cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: serpitque per æthera clangor,
Cœdentum pariter pariter sonituque cadentum.

Ah quoties Matres laniatis fronte capillis
Enses Natorum voluere avertere strictos
Corporibus; simul hæ simul incurvata dolore
Membra cadunt terris, pariter suprema jacentes
Lumina verſarunt, animas simul exhalarunt.

Ah quoties trepidæ matres erroribus errant,
Dumq; volunt teneros Natorum abscondere vultus
Amplexosq; tenent palmis atq; oscula figunt;
In medios tendunt hostes, quîs barbarus hostis
Intima fatali rupit præcordia ferro.
Non fuga, neve minæ, lacrumæ, querulæq; querelæ
Profunt: hi rabidis commendant omnia cauris.
Quiq; parant contrà cœco concurrere Marti;
Huic catervatim tela in præcordia figunt.

Vos, mœstæ volucres, gelidi in convallibus amnes
Et montes scopuliq; feri flevere cadentes.

Vos

Vos, rigidi silices mœrent, rupeſque nivofæ.

Immane hoc facinus luſtrans fugit aurea cœlo

Luna; tegunt nigræ latitantia ſidera nubes.

Nox caret igne; ſolum tenebris operitur opacis.

Naiades exululant undis: paſſiſque capillis
Incedunt Dryades veſtitæ veſtibus atris.

Vos lugent ſylvæ: poſitis vos frondibus arbor

Toniâ comas flevit: lacrumis quoque flumina dicunt

Inceviſſe ſuis: ſpumantis Jordanis undæ

Sanguinis effuſi ſæpe intumere colore.

Felices Pueri infaſto ſub Marte peremti

Inſonti inſando indicio; vos ſanguine veſtro

Martyrium primum Patriſ ſancitiſ in oriſ:

Carmina ſiquid habent; ſi quid memorare Vetuſtas

Mnemofyneque valet, non funera veſtra ſilebunt

Secula: nulla dieſ memori voſ eximet ævo.

Non tamē invenit rabidiſ quem faucibuſ oriſ

Expectans PVERVM grefſu inquirebat anhelō.

Namque priuſ Bethleſ rex milite tangeret arva;

(Dum nox atra cava terras circumvolat umbrâ

Sidera jucundōſ ſuadebantque ignea ſomnoſ)

Languida Joſephum mulcentem membra ſopore

Angeluſ accedens haſ fudit voce loquelā:

Cane Joſephe poteſ ſub caſu hoc ducere ſomnum?

Nec quæ circumſtent horrenda pericula cerniſ

Te PVERVMque? nec armataſ properare phalangeſ

Audiſ? Cornipedum celeranſ quatit ungula campum,

En equiteſ pediteſque ruunt, ardentque furorē.

Cerniſ ut Herodeſ fraudeſ ſub pectore verſet

Flammato, atque necem PVERO Matrique minetur?

Dentibuſ.

Dentibus infrendens irarum fluctuat æstu.
Ni repetes, præceps septemplicis Ostia Nili,
Vndique turmatim telis accedere turmas
Thermodoontiacis, lunatisque agmina peltis
Aspicias, site attigerit lux orta morantem.
Eia age rumpe moras, dum præcipitare potestas
Atque animam PVERI fugiens extolle futuris
Casibus. Hæc fatus nocti se immiscuit atræ.

Extemplo Joseph subitis exterritus umbris
Corripit è stratis corpus Matremque fatigat.
Chare PVER vigila: DEUS æthere jussit ab alto
Festinare fugam, patriæque relinquere muros,
Arripe jam PVERVM, tenerumque involvere corpus
Accelera pannis, artus nè frigora lædant.
Imperio, monitisque tuis paremus ovantes
Sancte PATER: placidusque juves & fidera cœlo
Dextra feras? jam jamque fugam celeramus euntes.
Tu Nati miserere tui, miserere Parentum
Et casus averte omnes, fraudesque dolosas.
Disiice, rumpe dolos, odiumque extingue Tyranni
Fulgura spirantis furias atque arma moventis.

Corripuere viam; gressusque per alta ferebant
Compita, & aërias rupes scopulosque nivosos.

Aspera tum quoties spirantes frigora Cauri
Purpureas læsere genas, oculosque PVELLI?
Ah quoties largo humectavit flumine vultum
Turbo ruens quando fremitu streperoque fragore
Irruit, ut tremulos possint vix tollere gressus.

Spirantem gemitu PVERVM suspiria cordis
Verbis Josephus sic consolatur amicis.

Parvule

Parvule quid vagis? vagituq; æthera complex?
Cur ita largi fluis lacrumis tua lumina stillant.
Ac si sentires horrentia vulnera mortis

Dixerat hæc plorans: Genetrix quoq; tacta dolore
Suspirans lacrumis vultum madefecit obortis:
Interdumq; sinu, interdum quoq; lacte fovebat
Materno ætherei pueriles corporis artus.

Devenere locos septem ad Spumantia Nili
Littora, quæ horrendovolvuntur murmure in æquor.
Hic spacium requiemq; petunt, hic culmine agresti
Excepti incipiunt duros tolerare labores.

Jamq; aderat tempus, quo infami corpore pœnas
Herodes lueret pro tam crudelibus ausis.

Stamina rumpuntur vitæ: Mors limina pulsat
Vitaq; cum fremitu gemituq; Acheronta subintrat
Interea occiduis Josephus versat in oris
Niliacosq; colit tractus, Atlantiaque arva.

Tunc iterum in somno vultu redeuntis eodem,
Forma Dei stetit ante torum, & sic vocibus inquit:

Surge Josephæ age surge celer, disrumpe soporem,
Et PROLEM assumens tecum Matremq; Mariam,
Hesperios iter ingrediens relinque penates:

Occidit, occubuit perijt crudeliter hostis
Qui PUERUM audebat truculento absumere ferro.
Surge age: num Zephyros audis spirare secundos?

Quæritur interea quis tanti pondera regni
Sustineat? tantoque queat succedere regi?
Archesilaus adest Patris qui sceptrâ relicta
Accipiens urbis Solymæ moderamen habebat.
Ergo ubi Josephus per agros regnare Judæos

E

Hunc

Hunc videt: haud placuit campos invisere Bethles:
Sed Nazarhenis tandem (quia fata jubebant)
Tyrrheni maris ad ripas, tunc constitit oris.

CHRISTE PATRIS splendor relicto cardine cœli
Aethereaq; plaga terræ qui scandis in oras
Servilem formam assumens ex Virgine castâ:
Per Te rursus aperta via est stellantis olympi
Quam culpa Adami casusq; occluserat Evæ:
Jam tibi gratantes meritos largimur honores,
Ardentesq; preces ardenti fundimus ore.

Salve Dive PuER, populi lætentur & urbes,
Exultent valles, montes, & montibus herbæ;
Aspirent auræ lenes, Zephyriq; secundi;
Astrorumq; ignes rutilent fulgore corusco,
Lætaq; cum populis cantent Encomia laudum
Quos tanto superûm Rector dignatur honore.
Jam sacrum sacro commixtum nectare rorem
Sidera sudabunt: sudabunt balsama sylvæ
Frondeferæ: injussis flavescet campus aristis.
Salve dive PuER, quæ Te tam læta tulerunt
Secula: dum stabunt stellata volumina cœli
Astorum flammæ flammantiq; arce micabunt.
Semper honos, nomenq; tuum laudesq; nitebunt.

F I N I S.





Lipsiæ,
TYPIS BERVVALD:
Jacobus Popporeich, excudebat.
ANNOM. DC. IIII.

21



16 2/3 / 04



Lipitz
TYRUS BERV. A. D.
Jacobus Popovich, exordibat.
ANNO M. DC. LIII.

216

ULB Halle
004 789 105

3



VDM





Q. 28, 17.




ILL
MO
MO
Domine
nia, sa
& l

fo



I.
I.
On.
axo-
llo

V c
3131



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

